

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ Aprilis.

M. JACOBO DE BOURGES, Doctore Medico, Præside.

An aër præcipua valetudinis causa?

I.

HUMANUM corpus machina hydraulico-pneumatica audit politioribus Philosophis. Mirabilis hujus œconomia. Quæ si prima veluti fronte explicetur, infinita prorsus apparet partium omnigenarum series. Harum aliæ sunt perpetui pulsus parentes, ut cor & arteriæ; systolen contractione fibrarum, diastolen earumdem relaxatione reddunt. Aliæ jugi & reciprocæ mancipantur respirationi, quam pulmo, diaphragma, multorum, & præcipue intercostalium ordo musculorum absolvit. Glandulæ extant dicatæ secretionibus humorum, quorum alii ut inutiles foras amandantur, alii intus in varios asservantur usus. Motum aliquæ perpetuant, & per totum corpus diffundunt, ut musculi. Cæteræ sensuum organa, quos revocant ad internos externosque, & sensationum ut vocant omnium occasiones non immeritò vocantur. Stupenda prorsus earum omnium symmetria, ansam præbebit semper nocturnis anatomicorum virorum vigiliis, & inquietæ Physicorum meditationi. At si quis sagaciori instructus philosophandi methodo, aut exquisito armatus microscopio, sedem hanc animæ penetret, tunc evolutâ quasi partium omnium compage, totum earum apprehendet artificium. Quæ nunc sensu prævio, colore, saporibus, usu, functionibus à se distant quam plurimùm, motu solo, quiete, situ, figurâ, inter se discrepantes intelliget, corpusque universum ad simplicissimas mechanicæ leges referens, anthlias hìc, trochleas, spiras & arcus, illic vectes, funiculos, valvulas & receptacula, ubique dædaleos tubulorum gyros introspiciet, viriumque leges experietur easdem hoc in *microcosmo*, quæ a primo rerum ortu, immensi hujus *macrocosmi* extitere cunabula, ipsumque in præsentiarùm, facili & perpetuo motuum ordine, ab edaci præterlabentis ævi injuriâ vindicant.

II.

TAM apta singularum partium conspiratio, vitam corpoream, quæ solis motibus continetur, expectat primi cujusdam impetûs impatiens. Qui ambientis *athmosphera* diversas dotes lustraverit, vix ac ne vix quidem hærebit anceps, cui potissimum causæ, organicas omnes viventis animalis functiones referat acceptas. Aër corpus est pellucidum, fluidum, grave, elaterio donatum. Ex duplici partium genere coalescit. Aliæ tenuissimæ pernicissimo agitantur motu; aliæ crassiores densari & resilire aptæ natæ sunt. Partes illæ diffidentis licet naturæ, mutuam tamen sibi, & amicam præstant operam: ita fit irritus mobilioris substantiæ impetus, crassior si non adsit movenda; iners vero jacet & ignobilis pars crassior, ex eo quod tenuioris commercio orbetur. Ut partes duæ, ita principes totidem in eo qualitates gravitas scilicet, & vis elastica vulgo dicta. Prima unde oriatur adhuc sub judice lis est: altera ramosarum aëris partium porulis, & materiæ subtilis impetui adscribitur. Ambæ infinitis prope modùm experimentis illustrantur. Gravitas barometris, embolis, anthliis aspirantibus, siphonibus, tubulis præsertim a Toricello confectis, luculenter demonstratur: Vis elastica, cum multis momentis, tum præcipuè catapultâ pneumaticâ, & vacuo *boyliano* evincitur. Aër continuo nisu & perpetuo pondere aditum corporis tentat. Mille undequàque patent viæ. Ampliata pectoris capacitas costarum ascensu, aëri latum simul, & declive substernit iter. Eundem alimenta, tum solida, tum fluida, in ventriculum secum invehunt. Cutis & cuticulæ ostiola exiguos præbent tramites, ast infinitos. Aër undiquè sanguineæ moli commixtus, ejus circuitum, (a quo vita) concitat ac promovet; moleculas attenuat, fervefacit, sibi invicem committit; coccineum liquorem a corde submissum, atque in impeditis vesicularum pulmonearum ambagibus moras nectentem dissolvit, conterit: ejus ad cordis thalamos reditum faciliorem accelerat: largitur ei particulas, quibus ipse fœtus est, elasticas. Hinc tremulus, & intestinus, (*oscillatorius* quibusdam) purpurearum molecularum motus. Motu concitato, blandus calor subsequitur, quo tota, quandiu durat, animalis œconomia continetur. Hinc ratio fere omnis, purpurei quem induit coloris, redux in cordis sinistrum ventriculum cruor. Hinc ratio felicioris alimentorum in ventriculo coctionis, distributionis per artus singulos, nutritionis, accretionisve, quæ aliud nihil sunt, quam juvante motu sanguinis intestino, gelatinosi laticis, ad vasculorum parietes appulsus facilis; quo vigente corpus universum ad functiones quaslibet blandè accingitur, fracto vero vel debilitato in marcorem abit illicò, atque fatiscente partium textu contabescit.

III.

DUCUNT sensim motus hi omnes, ad spirituum animalium indolem penitiùs explorandam. Quidni & aër ipse illorum & naturam simul, & nomen sortiatur. Qui respectu plantarum, fossilium, vegetabilium denique cunctorum, spiritus mundi perhibetur, universalis, immensus, ubique diffusus, in humano artificio, flamma vitalis audiat nunc, vitæ corporeæ

principium & fons jure estimetur, verbo dicam, ſpiritus animales vim ſuam atque originem eidem referant acceptam. In indagandâ eorum naturâ, caveas eos nitri admodum volatilis æmulos temerè pronuntiaveris, aut radiorum inſtar ſolarium, ad lucis naturam proxime accedere. Inde procul dubiò nec motuum celeritas in ſingulis partibus, nec in quibuſdam, ut in oculo, vividus manat ſplendor & temperatus. Neſcio quas in illis, ſulphureas dotes ne diſquiras, quæ phrenitide accendantur, atque inſultus moveant ſpaſmodicos; aut acidi cujuſdam vitii, ut in melancholiâ & maniâ, mendum remediis infulſis obliterare tentes: ut a ſpirituum animalium ſubſtantiâ inſenſili, diſſident quæ ſapores, colores, odores ſapiunt, ita exulent ab eorum definitione clarâ & diſtinctâ, vocabula hæc erroris, & ambiguitatis plena, quæ nitro-aërea, ſalina, ſulphurea, acida, urinoſa ſonant, volitantque in ore imperitæ medicorum plebis. Abundè dixeris ſi ipſos aëris portionem tenuiſſimam definieris, quæ æthereæ ſubſtantiæ æmula, facili negotio per nervorum ſyſtêma diffunditur, elaterio vero donata, fibras nerveas frequentiori ictu concutere, atque commovere apta eſt: ſicque contractionem earumdem, ſuo influxu, relaxationem receſſu, perennes & reciprocas perficere.

IV.

CUM ea ſit aërem inter, & partes animantium ſingulas cognatio, non mirum quod pro variis quibus inſtruitur dotibus functiones variæ emergant; utque vitæ, ſic valetudinis, morborumque omnium author præcipuus judicari debeat. Male temperatam aëris conſtitutionem quam dira ſequatur morborum lues, experientia rerum magiſtra commonſtrat. Humidus & gravis corpori gravitatem inducit; in pulmones ægrè delabitur; ſanguinem hic ad abſolvendam circuitionem ſegniter ſtimulat; unde laborioſa reſpiratio, & humido cœlo anhelantium anguſtiæ. A ſanguine male fermentato, ſpiritus effœti, ut a corruptâ ſemel fibrarum tenſione, ſenſuum oritur imbecillitas & inertia. Auditus ingraveſcit; perit naris emunctæ ſagacitas: univerſi corporis vires enervatæ fatiſcunt. Obtunditur interea latentium intus fermentorum vigor. Hinc manca, & imperfecta ciborum diſſolutio, ſanguini tenue ſubſidium parat. Sic debilitatur ſenſim liquorum agitatio, & laxato fibrarum contextu, multi iique contumaces ingruant morbi neceſſum eſt; catarrhi, gravedines, febres diuturnæ, alvi profluvia, putredines, apoplexiæ, comitiales affectus, anginæ & ſimiles, qui ortum, vimque ſuam cœli inclementiæ, & perturbato tempeſtatum ordini ſæpiſſime referant, ſolique interdum cedant aëris mutationi. Qui igitur in morbis varias ejuſdem vires ſcrutari neglexerit, illum in curandis ægris luctuoſum, & inauſpicatum pronuntiare ne dubites. Cum ex variâ cœli mutatione, ventorum afflatu, bonâ denique vel pravâ, aptâ vel ineptâ aëris temperie, ſumptæ potionis efficacitas quandoque judicetur, ſumendæ occaſio præceps declaretur.

V.

QUICUMQUE igitur ſanitatis ſuæ rationem duxerit, quid in aëre exoptandum, accipiat paucis. Tenuem, nitidum, ſincerum ſectetur, in

locis mediocriter editis, benè insolatis, aurâ suavi perflatis. Humidum, qualem efficere solent austrina constitutio, maris fluminumque vicinia, solum stagnis, paludibusque scatens, humile, collibus consepultum, minusque a sole collustratum omni ope, sedulâque declinet industriâ; lanienarum, cloacarumve lethales vitet expirationes, quæ ingratos ad narium lamellas odores deferunt, easque tentant ictu fœtido. Prior aëris constitutio corporis totius fibras obfirmat, meatus aperit, humorem exhaurit superfluum, appetentiam suscitat dejectam, cibos optime conficit, atque per totam molem distribuit. Eâdem de causâ celeriter, nulloque negotio in pulmones aër devolutus, implicitos eorum amfractus penetrat & recludit; sanguinem potenter urget, illincque extricat, eamque illi partium resilientium vim suffundit, quæ debito calori luculenter intra eundem accendendo sit satis. Spiritus inde lucidiores a cerebro in corpus irradiant. Ab his animus in lætitiam pronior; ad sua munia promptior & alacrior. A servato partium eodem tono, & expeditior movendi, & exquisitior sentiendi facultas. Uno verbo bene temperatam cœli constitutionem act onum vitæ integritas comitatur. Hoc pacto quivis immunem a quamplurimis morborum periculis ætatem peragens, *Nestoreos* ducet annos, lubensque colliget.

Ergo aër præcipua valetudinis causa.

Proponebat Parisiis EUSEBIUS ADRIANUS THUILLIER, Parisinus, Baccalaureus Medicus, e Regiâ scientiarum Academiâ. A. R. S. H. 1699.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.